des

kaiserlich königlichen

Gymnasiums in Salz

am

Schlusse des Schuljahres 1860.

Veröffentlicht am 31. Juli durch den Direktor des Gymnasiums

Dr. Hermenegild Kottinger.

Inhalt:



Zaunrith'sche Buchdruckerei in Salzburg.

Animadversiones Tacitinae.

A. 1, 59. *Coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium hominum: Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam viderint. aliis gentibus ignorantia imperii romani inexperta esse supplicia, nescia tributa; quae quoniam exsuerint, inritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adulescentulum ne seditiosum exercitum paverent.*

Sacerdotium hominum non est quod mutetur. nam cum Tacitus altero quoque loco duces hostium magna sui jactantia acerbaque Romanorum irrisione memorantes faciat se profligasse divos illos Julios Agr. 15 (cf. An. 12, 34 H. 4, 17), nostro Arminium, inter numina dicatum Augustum inritum discessisse, sacerdotium hominum eadem cum cavillatione Segestis et Segimundi dictum est, qui usque eo servitutis pervenerint, ut Germani homines sacerdotium non numinis cujusdam externi sed hominis et ejus quidem quem Germani vicissent sustinerent. aptissime igitur convenit sacerdotium·hominum, quod eodem modo ac sacerdotium Jovis, Herculis cet. dictum est, cum victa ripa, quam Segestes colere jubetur, et cum illo inter numina dicato Augusto.

A. 4, 18. *Nam beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse; ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur.*

Dubitatum est, num multum recte se haberet, a Doederlino. at Tacitus, quo est brevitatis studio, sententiam, qua multam quid valeat illustratur, supplendam legentium animis reliquit. est autem fere haec: „denn woltaten sind nur bis zu dem grade erwünscht, so lange man sie vergelten zu koennen glaubt: auch ein kleines plus geht noch an —, wo sie aber zu weit vor sind, da zahlt man mit hass statt mit dank“.

A. 12, 65. *Ob haec mors indicta, multum adversante Narcisso, qui Agrippinam magis magisque suspectans prompsisse inter proximos ferebatur certam sibi permiticiem, seu Britannicus seu Nero rerum poteretur; verum ita de se meritum Caesarem, ut vitam usui ejus impenderet. convictam Messalinam et Silium, pares iterum accusandi causas esse, si Nero imperitaret Britannico successore nullum principi meritum. at novercae insidiis domum omnem convelli, majore flagitio quam si impudicitiam prioris conjugis reticuisset. quamquum ne impudicitiam nunc abesse Pallante adultero, nequis ambigat decus pudorem corpus cuncta regno viliora habere.*

His in verbis, quae omnibus fere editoribus corruptissima sunt visa, equidem aut nihil aut perpauca mutanda censeo, sed aliter interpretor, ac Rothius vers. V p. 111 et Haase, cujus rationem ex distinctione tantum novi, fecerunt. omnis igitur dubitatio orta mihi videtur ex male intellectis verbis: convictam Messalinam et Silium, pares iterum accusandi causas esse. ita enim accipiunt praeter Doederlinum, ut ad accusandi objectum quod dicitur cogitent Messalinam, hasque constituant Narcissi cogitationes: sive Britannicus sive Nero Claudio successerit, aeque mihi metuendum, salus tantum ex Claudii incolumitate est. quam ab Agrippina in periculum vocatam defendam. nec despero Agrippinam posse everti, cum eorundem illam criminum quorum Messalinam possim apud principem accusare insidiarum et impudicitiae. ita si interpreteris, verba si Nero imperitaret Britannico successore nullum principi meritum sunt supervacanea immo intellectu carent, neque quid sibi velit at novercae insidiis perspicio. at multo expeditior est locus, si verbis illis convictam . . .

causas esse causam proponi putemus, cur Narcisso certa sit pernicies, sive Nero sive Britannicus rerum sit potiturus. quodsi enim Claudio interfecto Britannicus imperium capessiturus est, Narcisso erit pereundum propter Messalinam convictam, sin Nero, non deerit accusator, qui paria fere crimina objectet, quod Claudio matrimonium Agrippinae dissuaserit 12, 1, quod postea quoque inimicitias exercuerit 12, 57, denique quod Agrippinam de conubio principis Neronem de spe imperii depellere atque evertere studuerit. atque hactenus cum Doederlino facio, verum transpositio verborum Britannico successore post Silium quamvis habeat quod placeat, neque opus est et sententiarum vim infringit, propterea quod ita constitutis enuntiatis quid sibi velit nullum principi meritum non intelligitur. contra si jungas: si Nero imperitaret Britannico successore nullum principi meritum, oratio recte procedit. reputat enim Narcissus, neque de Britannico neque de Nerone quicquam se esse meritum, quo accusationes illas defenderet. cui interpretationi neque obstare videtur iterum particulae potestas cf. Suet. Oct. 76 Verba ipsius ex epistulis sunt: . . et iterum . . et rursus; neque paullo durius mutata verborum constructio cf. A. 14, 49 Thrasea sueta firmitudine animi et ne gloria intercideret, et Rothii Agricol. excurs. XXXIII p. 279; neque denique ἀσύνδετον illud: si Nero imperitaret Britannico successore cf. Nipperdeium ad A. 13, 48. 12, 19. sin autem durius videatur quam quod ferri possit, lenissima mutatione legerim: si Nero imperitet aut Britannico successore.

Respondent igitur inter se tria enuntiatorum paria:

certam sibi perniciem:

1) seu Britannicus rerum

2) seu Nero poteretur,

3) verum ita de se meritum Caesarem, ut vitam usui ejus impenderet:

1) convictam Messalinam et Silium,

2) pares iterum accusandi causas esse,

3) si Nero imperitet aut Britannico successore nullum principi meritum.

Hactenus Narcissus de se suoque loquitur periculo, quare sit necesse Agrippinae consiliis obviam ire. per at particulam demum ad Agrippinae scelera transit. quae tanta sunt, ut eam posse convinci aeque ac Messalinam speret, cum non minus quam illa Claudio paret exitium neque careat impudicitiae crimine.

Vertas igitur hoc fere modo: ihm sei der untergang gewiss, moege nun Britannicus oder Nero zur regierung kommen, aber der kaiser sei so um ihn verdient, dass er seiner rettung sein leben zum opfer bringen müsse. die überführung naemlich der Messalina und des Silius seien einerseits, dieselben gründe anderseits zu einer anklage gegen ihn; wenn Nero herrsche oder Britannicus nachfolge, er habe beim kaiser kein verdienst. aber durch der stiefmutter arge list werde ja das ganze haus erschüttert cet.

A. 13, 41. *Adicitur miraculum velut numine oblatum: nam cuncta extra tectis actenus sole illustria fuere; quod moenibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum fulguribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi videretur.* verbis corruptis medelam adferebant sublatis e conexu aut extra tectis aut hactenus. altera quidem via, qua hactenus omnino ejicitur non opus videtur esse, altera ut perspicuitatem adferat tantum abest ut difficiliorem reddat locum. nam non opponi inter se voluit Tacitus, quae ante miraculum et quae miraculi ipsius tempore evenerint, sed quae eodem temporis momento intra moenia et extra sint facta. quare hactenus ferri non potest. at desidero equidem notionem continuae lucis, eamque ex actenus puto erui posse, modo mutes in continuo adjectivum. quae mutatio non ita magna videtur actenus, cõ tinu·o. continuo errore abiit in actenu, quo facto scriba quidam correxit ut sibi visus est in hactenus. quae depravatio etiam tecta corripuit, quod vocabulum a quodam cum tenus junctum eoque in ablativum est mutatum. genuina igitur Taciti verba haec esse puto: nam cuncta extra tecta continuo sole illustria fuere. de continuo adjectivo cf. A. 16, 16 aliorumque taedium expectarem quamvis honestos civium exitus tristes tamen et continuos aspernantium. A. 15, 58 continua hinc et vincta agmina trahi ac foribus hortorum adjacere, quo loco non est „endlose züge“ (Roth) sed: in einem fort. de verbis cuncta extra tecta similiter cadentibus vide quos attulit locos Nipperdeius A. 1, 24.

A. 13, 26. Etsi non ita sum arrogans, ut locum desperatissimum omni ex parte ad integritatem revocasse mihi videar, tamen quibus satis lenibus mutationibus ad Taciti verba quam proxime accedere tentaverim proponam. lego enim:

Sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe[1] *perscripsere tamen consensum senatus*[2], *ille an auctor constitutionis fieret*[3], *ut inter paucos ei sententiae adversos; quibusdam coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse frementibus, ut nec*[4], *an aequo cum patronis jure agerent, sententiam praetorum*[5] *consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impune*[6] *vel poenam suam dissuadentes. quid enim aliud laeso patrono concessum, quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum releget?* quae maximam partem Rothii verbis usus ita verto: Aber die consuln wagten nicht es zur abstimmung zu bringen ohne wissen des kaisers, jedoch thaten sie ihm die einstimmige meinung des senates zu wissen, ob denn nicht vielleicht er eine verordnung geben wollte, da ja nur wenige dieser ansicht entgegen waeren. bei dieser gelegenheit denn aeusserten manche voll ingrimmes, das mit der freilassung unmittelbar eintretende achtungswidrige benehmen habe eine solche hoehe erreicht, dass die freigelassenen weder den bescheid der praetoren einholten, ob sie gegen ihre schutzherren den rechtsweg ergreifen dürften, und sogar frech die hand zu schlaegen erhoeben, straflos oder sogar[7] ihre betrafung widerratend. denn was stehe dem schutzherrn cet.

An particula recte se habet, cum in verbis perscripsere tamen consensum senatus dubitativa quaedam insit interrogatio ea potestate, ut optetur atque expectetur a consulibus senatuque fore, ut princeps fiat auctor constitutionis; cf. A. 2, 9 Quaesitoque an Caesar venisset. A. 15, 58 Idem Subrio Flavo assistenti adnuentique an inter ipsam cognitionem destingeret gladium caedemque patraret, renuit. A. 16, 26 ceterum ipse an venire in senatum deceret, meditationi suae reliquit. Klotz. lexic. I p. 382, b med. de inter praepositionis potestate vide H. 1,1. 1,34. 1,50 Rothium ad H. 1,1 Naegelsbachii lateinische stilistik §. 124, 6 p. 348; de nec—ac inter se respondentibus Agr. 10. Neque huius operi est ac multi rettulere, ibique Wexium. praetorum autem pro eorum scripsi propterea, quod nisi praetore concedente patronos in ius vocare libertis non licebat, vide Rein in Pauly realencyclopaedie IV p. 1032 Lange roem. altert. I p. 199. de consultandi vocabulo cf. A. 1,72 Consultante Pompeio Macro praetore an judicia majestatis redderentur, exercendas leges esse respondit. A. 2,30. quod ex Heinischii coniectura recepi impune explicatur verbis, quae paullo post leguntur: quid enim aliud laeso patrono concessum cet. cf. H. 4, 28. denique verbis vel poenam suam dissuadentes id significari, ut patroni timere debuerint, ne a libertis varias ob res, quarum essent conscii, accusationibus peterentur, recte monuit Rothius. de ipso dissuadendi verbo adeas A. 14,7. Ne irriti dissuaderent. 14,11. Quod dissuasisset donativum et congiarium.

A. 14, 32. In codice Mediceo haec extant:

Jam Oceanus cruento aspectu sic labente aestu humanorum corporum effigies relictae ut Britanni ad spem ita veterani ad metum trahebantur.

Quae verba ex coniecturis J. Gronovii et Waltheri sic eduntur: iam Oceanus cruento aspectu, dilabente aestu humanorum corporum effigies relictae ut Britannis ad spem ita veteranis ad metum trahebantur. sed etiam leniore medela locum ad integritatem revocasse mihi videor scribens: iam Oceanus cruento aspectu (scil. fuit) ac labente aestu humanorum effigies relictae (sc. sunt): ut Britanni ad spem ita veterani ad metum trahebantur[8]. quam textus constitutionem quam vocant ut probemus, paullo accuratius premamus sententiarum ordinem. quinque enim prodigia refert Tacitus, quibus Camuloduni exitium portendebatur:

1) *inter quae nulla palam causa delapsum Camuloduni simulacrum Victoriae ac retro conversum, quasi cederet hostibus;*

2) *et feminae in furorem turbatae adesse exitium canebant;*

3) *externosque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse ululatibus theatrum;*

---

1) cf. praeter A. 14, 49 quem locum Nipperdeius post alios indicavit, A. 15, 22 *non tamen senatus consultum perfici potuit abnuentibus consulibus de ea re relatum* (substantivum, vide Halm comment. critic. ad. h. l.)

2) cf. A. 15, 21 *magno adsensu celebrata sententia.*

3) A. 15, 22 *mox auctore principe sanxere.*

4) *vine* codd. eodem errore extat A. 14, 5 *quamvis* pro *quam ut.*

5) *eorum* codd.

6) *impulere* codd. *impune* margo Gryph. Heinisch.

7) vide Freund lexic. s. v. *vel.* II.

8) cf. H. 4, 80 *trahebatur (Vespasianus) in diversa, hinc meritis Antonii inde Muciani epistulis.*

4) *visamque speciem in aestuario Tamesae subversae coloniae;*
5) *iam Oceanus cruento aspectu* (fuit) *ac labente aestu humanorum corporum effigies relictae* (sunt):
quibus prodigiis *ut Britanni ad spem ita veterani ad metum trahebantur.*
postremo igitur enuntiato indicatur, quales animorum motus et Britannorum et veteranorum illa prodigia effecerint notissima ex lege orationis vinctae, ut ultimo membro ea quae praecedunt comprehendantur, de qua re vide Naegelsbachii latein. stil. p. 558.

A. 14, 57. Librorum manu scriptorum verba haec sunt:

Effugeret segnem mortem o t i u m s u f f u g i u m, *et magni nominis* m i s e r a t i o n e m *reperturum bonos consociaturum audaces.* quod vulgo legitur: m i s e r a t i o n e reperturum bonos consociaturum audaces, magis mihi ex Taciti usu videtur emendare: miserationem r e p e r t u r a m bonos c o n s o c i a t u r a m audaces. cf. H. 3, 25; Pabst eclogae Tacitinae p. 304. sed hoc levioris momenti, gravius adflicta sunt verba quae ante sunt posita. quae ut recte emendentur, haec animadvertas velim. quamquam effugeret segnem mortem et miserationem reperturam bonos per et particulam inter se conecti possunt, tamen dubium non est, quin multo expeditior progrediatur oratio, si ex verbis aperte corruptis otium suffugium talem eliciamus sententiam, ut adhortationem effugeret segnem mortem subsequatur statim demonstratio viae, qua effugere possit. id effici puto emendatione Orellii et Nipperdei o b v i u m effugium, quae verba non appositionis modo ad mortem addita sed ita accipio posita, ut iam inde ab his verbis incipiat explicativa ut ita dicam sententia, quo modo mortem effugere possit Plautus. hortatur igitur L. Antistius fere idem quod in urbe fama percrebuerat, fugeret ad Corbulonem Plautus, his verbis: effugeret segnem mortem, o b v i u m s u f f u g i u m (sc. esse) et magni nominis miserationem reperturam bonos consociaturam audaces; quae sic vertas: er solle verzichten auf einen faulen tod, zuflucht sei in der naehe und das mitleid mit seinem grossen namen werde brave maenner finden und kühne um ihn scharen. de o b v i i adjectivi potestate cf. A. 15, 59 Cuncta prompta et o b v i a haberent; de s u f f u g i i A. 3, 74 Ex quis Cornelius Scipio legatus praefuit, qua praedatio in Leptitanos et s u f f u g i a Garamantum. 4, 66 fin.

Agr. 5. *Nec Agricola licenter more juvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit: sed noscere provinciam nosci exercitui, discere a peritis sequi optimos, nihil appetere in jactationem nihil ob formidinem recusare; simulque et anxius et intentus agere.*

Omnis loci difficultas inde nata mihi videtur, quod verba et inscitiam ab omnibus praeter Beckerum et Walchium editoribus pro altero objecto accipiuntur, ut sit inscitiam ἐκ παραλλήλου positum cum titulum tribunatus. ita ubi verborum contextum constituisti, quid sibi velit neque segniter vix perspicias. quare aliam viam circumspicienti haec mihi expeditissima est visa. inscitiam per et particulam non cum objecto titulum tribunatus, sed cum verbis ad voluptates et commeatus puto esse conjunctam, ita ut ad voluptates et commeatus et licenter, (ad) inscitiam et segniter inter se respondeant. huic interpretationem neque i n s c i t i a e potestas repugnat, quo vocabulo, ut verbis F. Schultzii syn. lat. 198 utar, denotatur „die dauernde geistige unbeweglichkeit und ungeschicklichkeit“, neque objectum inter verba ad voluptates et commeatus et inscitiam interpositum, cujus verborum collocationis a Meiringio gramm. lat. §. 1017 d. adn. exemplum est notatum ex Cic. Verr. 1, 15 Ipse Sulla ab se hominem atque ab exercitu suo removit, cf. praeterea Tac. A. 14, 62 Terruit simul audientem et accendit. sim. denique nihil offensionis esse in eo, quod ad praepositio ante inscitiam deest, satis multis docemur exemplis cf. H. 1, 46 Ad seditiones et discordias et ad extremum bella civilia ruebant, et quae attulit Nipperdeius ad A. 2, 68.

quodsi vel unus Taciti vel aqualium scriptorum locus mihi esset praesto, quo c o m m e a t u s idem valere demonstrarem ac quaestus „gelderwerb“ sicut Plaut. Pseud. 424 Qua in c o m m e a t u m volueram a r g e n t a r i u m proficisci ibi nunc oppido obsaeptast via, eam vim commeatus verbo etiam hoc loco vindicarem. nam quod Plutarchus Caes. 19 *ὅσοι τῶν ἐπιφανῶν καὶ νέων αὐτῷ συνεξῆλθον, ὡς δὴ* τ ρ υ φ ῇ χ ρ η σ ό μ ε ν ο ι *καὶ χρηματισμῷ μετὰ Καίσαρος στρατείᾳ* (Caes. b. g. 1, 39, 2) refert, idem in tribunos militum quales Neronis erant aetate cadit. quod cum probari non posse videatur, acquiescendum est in notissima illa significatione „urlaub.“ itaque nostra linqua sic fere verterim: da benützte denn Agricola seinen tribunentitel nicht unordentlich nach art der jungen leute, die den kriegsdienst zu einem wüsten treiben machen, und nicht bequemlichkeitsliebend zu vergnügungen und urlaub und nichtslernender unthaetigkeit, sondern cet.

Sequuntur tria sententiarum paria, tribus illis substantivis per chiasmum opposita. etenim sed noscere provinciam nosci exercitui contrarium est inscitiae, alterum et tertium paria discere a peritis sequi optimos, nihil adpetere in jactationem nihil ob formidinem recusare referenda sunt item χιαστικῶς ad verba ad voluptates et commeatus. haec demum virtutum enumeratio quasi in unum colligitur sententia ultimo posita loco simulque et anxius et intentus agere, quae est praecipua militaris viri laus. quare non cum Rothio Wexio aliis per que particulam verba recusare et agere inter se puto conjungi sed, id quod Kritzii sententia videtur esse, tria quae praecedunt cum postremo enuntiato. hic sententiarum ordo indicetur hacce tabula:

Nec Agricola licenter more juvenum, qui . . . . . vertunt, neque segniter

ad voluptates et commeatus (titulum tribunatus) et (ad) inscitiam rettulit

sed discere a peritis sequi optimos, noscere provinciam nosci exercitui

nihil adpetere in jactationem nihil ob formidinem recusare

simulque et anxius et intentus agere.

Quae sequuntur verba *non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit,* in iis num recte se habeat exercitatior vocabulum dubium est. nam aegre mihi persuadeo, Britanniam h. l. esse eam tantum insulae partem, quae tum romanae fuit dicionis, quod necesse est contendant qui codicum scripturam exercitatior quique Buchneri conjecturam excitatior tuentur. malim aliquod adjectivum, quo omnis significetur Britannia. ea quam requiro vis inest in erectior adjectivo cf. A. 14, 57 erectas Gallias ad nomen dictatoris, idque nostro loco restituendum censeo.

Denique in eis quae excipiunt verbis *trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus* duae res sunt dignae, quae paullo diligentius perpendantur.

Cum enim in Britannia unum tantum Camulodunensium oppidum coloniae nomine fuisse insigne constet, h. l. et c. 32 vacua castella senum coloniae pluralis numerus vulgo ea ratione defenditur, ut dicant, Tacitum latiore sensu etiam Verulamium et Londinium, quia multi ibi Romani consedissent, coloniarum nomine comprehendisse. at cum legerem, quae in accurata rerum a Suetonio Paulino in Britannia gestarum relatione Tacitus tradidit, verba A. 14, 33 At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, cognomento quidem coloniae non insigne sed copia negotiatorum et commeatuum maxime celebre, ita fere mihi visa sunt dicta, ac si scriptor, quae ante aliquot annos minus recte docuisset, retractaret atque corrigeret. similes locos, quibus se ipse corrigit Tacitus, habes in Nipperdei prolegomenis p. 22.

Tuetur Kritzius scripturam codicum *Γ Δ* intersepti exercitus. cui ne assentiar, duae res obstant. nam neque, ubi exercitus intersepti sunt, ita ut sibi invicem auxilio venire non possint, est necesse tantum sit periculum, ut etiam de possessione dubitetur, neque cum eis, quae A. 14, 31 ss. narrata sunt, convenit intersepti vocabulum. sane enim A. 14, 35 Bouduica jactat, cecidisse legionem quae proelium ausa sit, ceteros castris occultari aut fugam circumspicere, verum recte Nipperdeius haec verba ad secundam legionem a Poenio Postumo vicesimanis non auxilio ductam refert, neque de alio praesidio intersepto quicquam est traditum. contra nonani a Petilio Ceriale veteranis subsidio ducti a Britannis sunt intercepti. quare Puteolani emendatio intercepti exercitus retinenda videtur.

Agr. 9. *Consul egregiae tum spei filiam juveni mihi despondit.* novissimi editores Wexii sententiam probaverunt, qui in spei substantivo cum quadam gravitate posito verborum egregiae tum spei summam versari dicit. quo efficitur, ut tum particula opponatur insequenti tempori valeatque „schon damals." eadem vis inest in tum vocula A. 14, 21 Graeci amictus, quis per eos dies plerique incesserant, tum exoleverant, quem locum Nipperdeius suo jure interpretatur „waren schon damals etwas altes geworden." confer praeterea locos, in quibus olim est „schon laengst." H 1, 60 Accendebat odium ejus Roscius Coelius legatus vicensimae legionis olim discors sed occasione civilium armorum atrocius proruperat. sim.

Agr. 10. *Dispecta est et Thyle, quia hactenus jussum, et hiems appetebat. sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem proinde attolli.*

Wexius rectissime judicavit Tacitum, si vellet dicere praeceptum fuisse nautis, ut tantum eo proveherentur unde Thylen dispicerent, fuisse dicturum Thyle est dispecta, sed quod quia particulam censet mutandam in sed, in eo fallitur. non enim quia vocabulo impeditur loci intellectus, sed falsa hactenus adverbii interpretatione. quod ubi non loci sed gradus significatione acceperis praeditum, qua est positum A. 2, 34 Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus, ut se iturum ad praetoris tribunal adfuturum Urgulaniae diceret et A. 12, 42 Hactenus Vitellius voluerat, ut sit „bis zu dem grade, bis zu dem puncte, soweit", quae verbi vis narrationis conexu non deminuitur sed augetur „sogar soweit", plana sunt duo priora sententiae membra. „man erblickte auch Thyle, weil sogar soweit der auftrag sich erstrecte". quae sequuntur verba et hiems appetebat, iis causa proponitur, cur dispexerint tantum non adierint insulam. eadem enim significatione et particula effertur, qua H 2, 95 Nondum quartus a victoria mensis et libertus Vitelii Asiaticus Polyclitos . . aequabat. A. 4, 25 Simulque coeptus dies et . . aderant semisomnos in barbaros. cf. H 3, 10. Caes. b. c. 3, 9, 8 Jamque hiems appropinquabat, et . . Octavius . . sese ad Pompejum recepit. Plin ep. 6, 20, 14 Vix consideramus et nox, non qualis inlunis aut nubila, sed qualis in locis clausis lumine extincto. ib 5, 13, 8 Pauci dies et liber principis severus et tamen moderatus, ut tantum arte cohaerere duas sententias significet, quarum altera re vera indicatur tempus quo evenerit res priore expressa, „und da." ne autem desideres particulam aliquam temporalem ad dispecta est adpositam, consideres quaeso vim verbi dispicere. quod cum sit „intenta vel oculorum vel mentis acie videre" (Kritz.) non opus erat jam vel aliam voculam addere. itaque hoc enuntiatum ad sententiam primariam referendum ac his fere nostri sermonis verbis reddendum puto: „man erblickte auch Thyle, weil . . erstreckte, und da kam der winter." neque omnino inepte hanc quodam modo poetam redolentem causae significationem, quippe qua quasi ἀπροσδόκητον aliquid inferatur, esse adhibitam intelliget is qui legentium cupiditatem aliquid novi de fabulosa illa insula audiendi sibi proposuerit. qua cum spe essent dejecti, justam omissae expeditionis causam requirebant. quae et ea justissima proposita est ita, ut quasi naturali quodam vinculo cum dispecta Thyle esse eam conjunctam indicetur. In proximis verbis Wexius se adsequi negat, qua vi sit posita sed particula. in ea certe nihil est haesitationis perpendenti sententiarum ordinem. exposuit Tacitus de terra Britannia et de insulis circum sitis. progreditur a terra ad mare Britanniae ab septemtrione circumfusum. qua in progrediente narratione sed particulam suum obtinere locum, praesertim si ad rem quodam modo ei, de qua dictum est, contrariam vel potius diversam producitur oratio, adeo est notum ut paene taedeat adponere exempla. Agr. 8 Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. habuerunt virtutes spatium exemplorum. sed primo Cerialis labores modo et discrimina mox et gloriam communicabat.

denique proinde, quod quamquam in codicibus extat, omnes editores in perinde mutarunt, recte videtur retinuisse Kritzius, eam sententiam esse verborum docens, ut indicetur, mare „non statim ventis moveri, sed demum postquam aliquamdiu impulsum sit, fluctibus cieri." [1])

Agr. 11. *In universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. eorum sacra deprehendas superstitionum persuasione, sermo haud multum diversus, in deposcendis periculis eadem audacia et ubi advenere eadem formido.*

Wexii quidem criminationes scripturae in codicibus servatae non sine aliqua veri specie refellit Rothius; sed alio nomine ac Wexio mihi suspecta sunt verba superstitionum persuasione. tribus rebus probare vult Tacitus, Britanniae incolas ex Gallia esse transvectos, similitudine rerum divinarum, linquae, indolis atque ingenii. atque altero et tertio membro duae res, quae in Gallis Britannisque sunt similes, nude efferuntur, ut aegre mihi persuadeam primo membro, quod ἐκ παραλλήλου est positum, praeter ipsam rem similem esse quicquam inlatum, prorsus incredibile videatur, causam, cur eadem in Britannia quae in Gallia

---

[1]) Quae contra dixit Schoemannus ind. schol. Gryphisw. 1859 p. 8 ss. ea magni quidem sunt momenti, sed Kritzii rationem propterea puto posse probari, quia proinde adverbium ad vulgarem vim per significationem a Kritzio vindicatam descendisse patet, et quia primaria illa vocabuli vis unice convenit cum verbis insequentibus sed profunda moles continui maris tardius impellitur.

sacra inveniantur, aliam proponi, quam quae inest in sententia Britannos esse Gallos natione. contendo igitur verba corrupta ita esse conjectura formanda, ut praeter eadem sacra altera tertiave rerum divinarum similitudo indicetur. id effici emendatione superstitionum persuasione, quam Wexius et Kritzius ex editione Walchiana receperunt, videtur. at est in ea quod improbes. in superstitionis enim vocabulo ea inest vis, ut subjective quod dicunt ad sensus hominum referatur neque objective res divinas ipsas significet, cf. A. 2, 85. 11, 15. 13, 32. 14, 30. H 4, 54. 5, 13. 4, 61. 5, 8 al. quare superstitionum persuasiones non sunt, id quod Wexius persuadere vult, „der glaube, welcher der inhalt ihrer religion ist" sed „die überzeugungen der religiösen überzeugungen" persuasiones persuasionum de rebus divinis. quod est absurdum. equidem ut legam eorum sacra deprehendas superstitiones persuasiones moveor locis, quales sunt Tac. H 5, 13 Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotium litteris contineri. H 5, 5 Eademque cura et de infernis persuasio. Suet. Tib. 69 Circa deos ac religiones negligentior, quippe addictus mathematicae plenusque persuasionis cuncta fato regi, Cic. n. d. 2, 28, 70 Quae res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos et superstitiones paene aniles. dicit autem Tacitus: „wenn man alles zusammen nimmt, so ist es glaublich, dass Gallier die ihnen nahe gelegene insel in besitz genommen haben. denn ihre heiligen gebräuche trifft man dort, ihre religionsbegriffe, ihre ansichten." quae conlata Caesaris descriptione ita intelligas, ut superstitiones ea denotent, quae de deorum vi ac natura Caes. b. g. 6, 17 de morbis sanandis ib. 16 al. persuasiones, quae de animarum condicione ib. 14, de Die patre gentis auctore ib. 18 al. voluerint persuadere druides ib. 14, 5.

de tribus substantivis ἀσυνδέτως positis cf. A. 2, 15 Meminissent modo avaritiae crudelitatis saevitiae. 1, 7. 1, 11. 1, 59 al et quae disputavit Wexius in prolegomenis p. 101.

Agr. 15. *Alterius manus centuriones, alterius servos vim ac contumelias miscere.*

Kritzium in eo, quod Wexio servos in suspicionem vocanti audiens non fuit, recte fecisse, cum eo loco Annalium, quo ad nostra verba respiciens eandem rem refert Tacitus A. 14, 31 adeo ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur, tum A. 4, 15 probatur. dicit enim Tiberius, Lucilio Capitoni procuratori Asiae non se jus nisi in servitia et pecunias familiares dedisse, quod si vim praetoris usurpasset, manibus militum usus foret, spreta in eo mandata sua. nec vero opus est, ut manus intelligantur milites ex cohortibus delecti, qui accensorum nomine legati jussa exsequentes quasi a latere ejus fuerunt. nam ne petam argumentum ex plurali numero manus, quod vocabulum rectius an manum scribatur, non satis certa librorum auctoritate discerni vix possit, manus vocabulum haud raro ita a Tacito adhibitum deprehendimus, ut nostro quoque loco de cohorte accensorum cogitare vetemur. praeter eos locos, quibus manus aliquis est militum numerus una in expeditionem missorum A. 1, 60 expedita cum manu L. Stertinius fudit. A. 3, 74. 4, 24 cet, haud pauci extant, quibus manus militum sive ejusdem sive diversorum manipulorum non ad pugnas vel oppugnationes, sed ad tributa cogenda ad supplicia sumenda aliasque ejus modi res missae narrantur. A. 14, 58 dum manus alia permeat (ad Plautum interficiendum); ib. 59 donec manus militum adveniret; quae eadem manus ibidem dicitur manipulus: coram Pelagone spadone, quem Nero centurioni et manipulo quasi satellitibus ministrum regium praeposuerat, quo loco quid valeat manipulus vocabulum, videas Nipperdeium. at plura adfere exempla non est opus, cum locus quem paullo ante posui A. 4, 15 certissimo sit argumento, legatos pro praetore ad jussa exsequenda non tantum illis accensorum cohortibus, quas ex Plinii epistulis satis novimus, sed etiam justis militibus esse usos, tum solis centurionibus, tum praesertim siquando vererentur ne injuriose tractati provinciales injurias vi defendere conarentur, etiam manipularibus una cum centurione missis.

Agr. 16. Halmius hanc exhibet scripturam: *quod nisi Paulinus cognito provinciae motu propere subvenisset, amissa Britannia foret; quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et proprius ex legato timor agitabat,* ** *ne quamquam egregius cetera adroganter in deditos et ut suae exercitusque injuriae ultor durius consuleret. missus igitur Petronius Turpilianus tamquam exorabilior cet.*

Lacunae signis minime opus est. nam ex A. 14, 38 apparet, Julium Classicanum non sine aliqua causa objecisse Paulino iram hostilem et superbiam victoris, eosque legati mores Britannis fuisse suspectos et obstitisse, quominus statim se dederent. quod cum Romam nuntiasset Classicanus, ad spectandum pro-

vinciae statum missus est Polyclitus libertus, cujus ex relatione Paulinus primo in provincia mansit, paullo post propter paucas amissas in litore naves tamquam durante bello provincia decedere jussus est. quam vero aliam durantis belli causam proponere potuerunt strenui illius ducis obtrectatores quam iram et superbiam, quas timentes Britanni in armis manerent? quae cum ita essent, missus est Paulino successor Petronius Turpilianus. recta igitur particulae interpretatione, quam proposuit Kritzius, difficultas est sublata. sane enim reticuit Tacitus, quae ex Paulino a Britannis timerentur, ea ab obtrectatoribus clarissimi ducis et a Nerone esse praetenta revocationi, sed neque dura est talis brevitas et fere eadem extat A. 11, 19. cur hostem conciret? ajunt Corbulonis obtrectatores, adversa in rempublicam casura, sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem et ignavo principi praegravem. igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit, ut referri praesidia cis Rhenum juberet.

Agr. 17. *Et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuitque molem Julius Frontinus vir magnus quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit.*

His in verbis, quae plerisque editoribus lacuna visa sunt foedata, nihil aliud quam que particulam a scriba quodam sive invito sive corrigente esse perperam additam eoque e verborum contextu tollendam puto. quam qui servare vult Rothius Agr. exc. XXVIII docens que non vices tantum quoque particulae sustinere ita ut in transitionibus idem valeat ac nostrum „ingleichen", sed etiam plane idem significare ac quoque, nihil probat, recteque recentiores editores omnes locos, quos adtulit, praeter A. 3, 34, cujus longe alia est condicio, mutandos censuerunt. qui mutari que volunt in quoque, non adtulerunt exempla, quibus quoque eadem potestate poni ac non solum — sed etiam probarent. lego igitur sustinuit molem cet. verum sunt in his verbis plura, quae paullo accuratiorem explicationem postulent. ac primum quidem offenditur Wexius vocabulis alterius successoris. alterum successorem enim neque Julium Frontinum esse posse neque inesse in alterius verbo vim attributivam quam dicunt, ut sit idem ac alius i. e. aliter comparatus. esse alterum successorem ipsum Agricolam, qui Frontinum primum Cerialis successorem exceperit. at certe in alterius vocabulo ea inest vis, ut sit cujusvis alius praeter Frontinum efficiatque talem sententiam: „Cerialis haette irgend eines andern nachfolgers thaetigkeit und ruhm nicht aufkommen lassen." cf. praeter locos a Walthero adlatos Tac. H 2, 90 Suet. Caes. 61 etiam A. 1, 31 fore ut Germanicus Caesar imperium alterius pati nequiret. A. 15, 25 Corbulo gerendae rei praeficitur, ne cujus alterius inscitia rursum peccaretur ib. Nipperd. Plin. pan. 2 Quantoque paullo ante concentu formosum alium, hunc fortissimum personat, quibusque aliquando clamoribus gestum alterius et vocem, hujus abstinentiam mansuetudinem laudat. quod vero alterum Cerialis successorem post primum Frontinum dicunt Wexius quique hoc in loco explanando totus ex eo pendet Kritzius fuisse Agricolam, cui omnem rerum agendarum famaeque parandae copiam erepturus fuerit Cerialis, nisi immaturo fato obiisset (des zweiten nachfolgers) non videtur probandum. etenim de Agricolae laude detraheretur, neque, quomodo haec verba cum eis quae sequuntur conecterentur, intelligeretur. diceret enim Tacitus: „Cerialis haette Agricola keinen raum für thaten und ruhm gelassen, wenn er länger gelebt haette." neque vero excipit quam expectas sententia: „dass ihm noch raum blieb, kam daher, weil Frontin nicht im stande war, des Cerialis entwürfe auszuführen" sed: der schweren kriegslast, die Cerialis dem nachfolger hinterliess *), war, so gut es möglich war, Frontin gewachsen." denique si ut Wexius velle videtur, Frontinus non legatus pro praetore provinciae Britanniae, sed legatus legionis fuit, Agricola non alter Cerialis successor sed primus erat dicendus. at non est Agricola in eo numero, quorum famam Cerialis obruisset, sed eos tantum intelligit alterius successoris nomine Tacitus, qui Frontini loco inter Cerialis et Agricolae administrationes provinciam regere potuissent. quae sequuntur verba sustinuit molem non de belli magnitudine et difficultate dicta sunt, quae interpretatio tum demum posset ferri, si non interpositis verbis et Cerialis . . . obruisset a belli commemoratione statim progrederetur oratio ad molem belli a Ceriale successori relictam, sed moles, cui sustinendae alterius vires vix fuissent pares (cf. Vell. 2, 131 Quorum cervices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant) nihil aliud est quam Cerialis gloria, quae tanta fuit, ut strenui quidem sed mediocris hominis curam opprimeret atque obrueret; cf. Cic. Cat. 1, 23 Vix molem istius invidiae, si in exilium ieris jussu consulis, sustinebo;

---

*) ita enim explicant Wexius et Kritzius.

Plin. pan. 44 Facilius est, ut esse aliquis successor tuus possit quam ut velit. quis enim curae tuae molem sponte subeat? Rothii adnotationes h. l. et H 1, 61. restat ut verba vir magnus quantum licebat explicentur. referunt Wexius et Kritzius quantum licebat non ad magnus sed ad sustinuit, quia sub Vespasiano tempora non ita virtutibus fuerint infesta, ut viris magnis ingenia exserere non liceret. at neque sustinuit molem quantum licebat quid sit, satis est perspicuum, nec Tacitum, si ita verba vellet inter se jungi, sic ea conlocasse putaverim, sed quantum licebat aut ante sustinuit erat ponendum cf. A. 4, 71 Nullam aeque Tiberius ut rebatur ex virtutibus suis quam dissimulationem diligebat, aut post ipsum hoc verbum. quod vero magnus quantum licebat initio hujus capitis magni duces egregii exercitus repugnare dicitur, exemplis Muciani Suet. Vesp. 13 et Antonii Primi H 4, 80 doctus memineris ducis boni imperatoriam esse virtutem Agr. 39, et ex Helvidii Prisci casu intellexeris etiam Vespasiano fuisse formidolosum privati hominis nomen supra principis attolli. beatissimum enim saeculum, quo tandem licuerit magnos esse viros, ab Nerva demum initium habuit, immo etiam tum, cum Annalium libros composuit, Tacito fuit persuasum, auctoritate constantia fama clarum esse usque eo tantum licere, in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur A. 14, 47, ut egregie dixerit Rothius: „Ist es doch nicht der einzelne regent, sondern die monarchie selbst, welche unter den kaisern keinen nach des Tacitus ansicht grossen mann aufkommen laesst." de obruendi verbo quod necesse erat dixit contra Kritzium Schoemannus ind. schol. Gryphisw. 1859 p. 11, cujus exemplis addam Vellej. 2, 69 Brutus Vatinium dignatione obruerat, cum et Brutus cuilibet ducum praeferendus videretur et Vatinius nulli nomini non esset postferendus. ib. 92 fin. Tac. A. 15, 12 Ubi corona servati civis per eorum numerum obrueretur (ex conjectura Nipperdei) Or. 38. denique de enuntiatorum ratione atque ordine cf. Plin. pan. 24 Onerasset alium ejusmodi introitus: tu cotidie admirabilior et melior, talis denique, quales alii principes futuros se tantum pollicentur. Tac. A. 13, 38 Cuicumque mortalium . . barbarae astutiae patuissent, . . dissimulato tamen intellectu . . totis exercitibus coram disserturos respondit.

Agr. 19. In codice *Γ* haec extant: *Nihil per libertos servosque publicae rei, non studiis privatis nec commendatione aut precibus centurionem milites nescire, sed optimum quemque fidissimum putare; omnia scire non omnia exsequi.*

Jam dubium non est, quin Puteolanus nescire recte mutarit in ascire, quod cum enclitica ad milites vocabulum addita particula, sive illa ve ut volunt, sive quod mihi est veri similius que fuit, coaluerat in nescire. sed quaeritur, qui fuerint illi centuriones et milites, quae vis insit in asciendi verbo, denique quomodo haec verba cum cetera sententia cohaereant. ac Wexius, quique ejus vestigia premit Kritzius, intelligi jubent centurionem et milites beneficiarios, quos Plinius saepius memorat, in quam cohortem accensorum asciri fuisse honorificum ac lucrosum ideoque a multis variis artibus expetitum. eorum igitur studiis Agricolam non concessisse, sed solam petentium virtutem spectantem legisse, quos maxime idoneos putaret. at neque ascire nude positum quomodo eam habeat potestatem, ut sit ascire in cohortem accensorum, neque verba sed optimum quemque fidissimum putare quid tandem sibi velint ad accensos relata, quippe qui num boni essent necne, non ita multum intererat, dummodo ducis jussa strenue exsequerentur neque quicquam ultra imperia per libidinem facerent, neque quid ita efferatur accensorum fides, satis intelligo. haec velim consideres. provinciarum rectores siquid injuste facere vellent in provinciales, centurionibus militibusque usi sunt ministris cf. 15. A. 14. 31, quos ex accensorum cohorte fuisse ut non negarim ita non pro certo affirmaverim. cum autem asciendi vocabulum haud raro sit „heranziehen, annehmen" atque et de eo, qui in aliquem numerum et de eo qui ad munus aliquod perficiendum adhibetur, dicatur, centurionem milites-que ascire h. l. est „die dienste eines centurionen und der soldaten in anspruch nehmen." cf. A. 15, 50 Adscitae sunt praeter Subrium et Sulpicium militares manus Gavius Silvanus et Statius Proximus tribuni cohortium praetoriarum. A. 14, 40 Fabianus tabulas ascitis quos memoravi et aliis minus illustribus obsignat (ex conjectura Kiesslingii) H 2, 8. studia privata quaenam fuerint, multa possunt intelligi, ut pecunias cum injuria provincialium sibi pararent provinciarum rectores, ut inimicos ulciscerentur, alia: eadem enim est in his verbis potestas, quae in nostri sermonis vocabulo „privatinteresse." porro quaeritur, quid valeant verba nec ex commendatione aut precibus. igitur scimus cum ex aliorum scriptorum libris tum ex Ciceronis epistulis haud raro proconsules ab amicis Romae commorantibus inprimis a negotiatoribus esse rogatos,

vel ut iis negotium aliquod in provinciis transigerent, pecunias a provincialibus debitas exigendas curarent Cic. ad Att. 6, 1. 6, 3, vel ut aliis, quos illi proconsulibus commendassent, aliquam navarent operam, Cic. ad Att. 5, 21, 10. 6, 1. 6, 3, ad fam. 7, 5. 7, 8. confer praeterea, quae Severus Caecina A. 3, 33 objicit uxoribus rectorum provinciarum incedere inter milites, habere ad manus centuriones. itaque haec efficitur sententiae: „keine amtssache liess er durch freigelassene oder sclaven verrichten, nicht nahm er in persoenlichem interesse noch auf empfehlungen oder bitten hin einen centurio und soldaten in anspruch."

Etiam in quos non ascierit Agricola centurionem militesque in aperto est, in provinciales, ut supra diximus. porro si reputaveris Agricolae justam atque integram administrationem opponi injuriis atque avaritiae aliorum legatorum, facile intelliges milites ascitos esse ad injurias provincialibus inferendas, cf. quos paullo ante adscripsi locos Ag. 15. A. 14, 31. verum quamvis apertae essent injuriae, aliquod certe crimen in promptu habebant, quo injurias excusarent. neque ad aliam tam saepe criminationem confugisse quam suspectae fidei in populum romanum conspirationis defectionis, perquam est veri simile. haec igitur criminatio in provinciales conficta denotatur verbis sed optimum quemque fidissimum putare, quibus Agricola propter contrariam aliis legatis virtutem praedicatur, quod neque in quemquam Britannorum infidiae crimen composuerit, neque ubi quem bonum virum cognosset, de ejus fide dubitaverit aut dubitare simulaverit. ad quam sententiam solum est aptum fidissimum vocabulum, cum hoc velit pronuntiare Tacitus „wenn einer der provincialen ehrenhaft war, genoss er sein zutrauen" (cf. quae Kritzius ad h. l. de fido infido disputavit) neque Puteolani mutatione fidelissimum legentis non solum opus est, sed sententia infringeretur.

Ita demum intellectis verbis oratio recte progreditur. laudat enim Tacitus Agricolam, quod se domumque suam coercens servos libertosque suos ad res publicas accedere prohibuerit, quod neque sibi neque amicis concesserit ad explendas libidines privatas militum publicam vim contra provinciales, sed id tantum spectarit, qui essent Britannorum mores et in romanos animorum veri habitus; quod judicem ultoremque ut justum ita aequum se praebuerit, rerum militarium et civilium providum ac cautum administratorem.

Paulo post vulgo legitur: *frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum mollire circumcisis, quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur.*

Sic fere haec verba accipiuntur, ut efferatur ablativo absoluto circumcisis quae—tolerabantur ratio, qua munera provincialium fecerit Agricola aequalia. at cum aequalitatem munerum ad frumenti aestimationem factam referant (cf. Wexium et Kritzium), duas rationes, qua aequalitas effecta sit, Tacitum faciunt proponentem et eas quidem ita constitutas, ut altera alterius explicandae causa sit addita, quamquam inter se plane sunt diversae. praeterea verba aequalitate munerum mollire etiam ad tributorum exactionem pertinere patet; neque vero interpretum verbis, quanam aequalitate mollierit Agricola tributorum exactionem, docemur. ad has suspiciones accedit, ut in libro Γ et in margine Δ haec verba sic legantur: frumenti et tributorum auctionem in aequalitate munerum mollire circumcisis cet. et tributa muneraque provincialium a Vespasiano esse aucta docemur Suet. Vesp. 16 Dio. 66, 8 cf. Walther. h. l. itaque non in auctionem in aequalitate (inaequalitate) sed in munerum voce erratum esse mihi videtur. quam ubi mutaveris in molestam, tolletur omnis quam indicavi loci difficultas, cum circumcisis quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur jam non aequalitas quaedam fiat sed tantummodo molliatur aucti tributi onus. scribendum igitur censeo frumenti et tributorum auctionem inaequalitate molestam mollire circumcisis quae cet. sane inaequalitas substantivum in Taciti libris non invenitur sed extat inaequaliter A. 2, 16 et usi sunt inaequalitate Quint 11, 3, 79. 12, 9, 17 Gell. n. a. 2, 25, 3 al. neque quod auctionem proprie dictam „vermehrung" tantum ex Macrobio et Festo lexica probant, aliquid causae est, cur explicationem a me propositam, modo nihil aliud habeat offensionis, abjicias, cum etiam alia verba propria potestate Tacitus posuerit contra ceterorum scriptorum usum. A. 1, 31 Igitur audito fine Augusti vernacula multitudo nuper acto in urbe dilectu . . implere ceterorum rudes animos.

Quae excipiunt verba *Namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumentum ac ludere pretio cogebantur,* de eis recte judicasse videtur Strodtbeckius prog. Ulm. 1850 p. 11 ss., nisi quod in ludere pretio frustra laborat. quod non fecisset, si Wexii elegantissimam conjecturam luere pretio novisset, quae paullo aliter ac ipse Wexius fecit accepta cum illius explanatione optime convenit. efficit enim hanc fere sententiam: „denn wann die provincialen das getreide aus weiter ferne (devortia itinerum

et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates proximis hibernis in remota et avia deferrent) vor die roemischen scheunen gebracht hatten, wurden dieselben tagelang nicht geöffnet, sondern sie mussten vor den verschlossenen scheunen wartend sitzen ihrer widerstandslosigkeit wegen ungestraft verhoehnt. hiedurch abgeschreckt kauften sie den roemern an ort und stelle das abzuliefernde getreide ab und kamen, da sie ihr getreide nicht um den gleich hohen preis an mann brachten, mit dem preise zu kurz." Kritzii conjecturam recludere pretio probari non posse docuit Schoemannus l. c. p. 12. Denique hac interpretatione postrema c. 19. difficultas, quae est in verbis donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret, quam ne Wexius quidem ut ipse sensisse videtur removit, Kritzius scribens quod omnibus i m p r o s p e r u m erat adeo non sustulit ut auxerit, tollitur. omnibus enim, quibus frumentum imperabatur, fuit in promptu, (cf. Liv. 25, 29, 9 Atque omnia, quae i n p r o m p t u erant, diripuerunt) sed, quia cogebantur suum eo vendere pretio quo possent (quanto major esset frumenti copia, tanto minore), a Romanis semel constituto satis magno emere, detrimentum acceperunt, paucique Romani, qui frumento exercendo praeerant, lucrum fecerunt.

Agr. 20. *Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, iram posuere et praesidiis castellisque circumdatae et tanta ratione curaque, ut n u l l a a n t e Britanniae nova pars i l l a c e s s i t a t r a n s i e r i t.*

E t particulam ante tanta Kritzius suo jure retinuit, sed quod ex emendatione a Susio proposita, Rittero Orellio Roedero (progr. gymn. Neostett. 1851) probata scripsit ut nulla ante Britanniae nova pars. I l l a c e s s i t a transiit sequens hiems, de emendationis veritate propterea dubito, quod nullam video causam cur contra Latinorum usum subjectum, quo tempus indicatur sequens hiems, a primo enunciati loco remota sit. nam cum c. 18 nihil sit dictum, etiam hieme annorum 78 et 79 esse inter Romanos et Britannos proelio certatum (ne ex verbis c. 18 quamquam transvecta aestas id colligas, prohibet ratio, qua Mona insula occupata est), illacessita transiit non propter alicujus oppositionis vim primo loco poni potuit. igitur verba illacessita transierit sunt conjungenda cum verbis ut nulla ante Britanniae nova pars, quo in enuntiato ut particulae vis est consecutiva. at ita retenta ut haec verba in codicibus leguntur sensu carent, neque facile quisquam inveniatur, qui Wexii contortam rationem probet. ante adverbium etsi lubens concedo defendi posse, quippe quo notio Britanniae nova pars angustioribus finibus circumscribatur (cf. Liv. 26, 41, 3 Nemo a n t e m e novus imperator), tamen de sententia omnino nihil detrahit e verborum contextu exemptum, cum post Agricolae administrationem provinciae Britanniae novae partes non sint adjectae. ortum autem mihi videtur ex eo vocabulo, quod requiritur ad justam sententiam, a e q u e dico. quae conjectura eo probatur, quod haud raro aeque subsequitur voces negativas cf. A. 4, 71 nullam aeque H 2, 10 nihil aeque 4, 35. 4, 54 al. at superest transeundi verbum. ea enim hujus verbi vis, quae sola nostro loco convenit, ut fere sit passivum verbi transmittere (hostes provinciam illacessitam transmiserunt cf. A. 13, 22 Plautus ad praesens silentio transmissus est) uno tantum Senecae loco a Rothio est firmata. sed non adeo abhorrere transire ab ea significatione aliis locis demonstratur. recte dicitur tempus nox annus transit, dies hibernorum transierunt (Caes. b. g. 3, 2, 1.) neque offendimur legentes A. 11, 37 T r a n s i s s e vitam neque aliud quam morti decus quaerendum, H 1, 52 Precarium seni imperium et brevi t r a n s i t u r u m. est autem vitam transisse breviter dictum pro tempus vitae transisse, imperium brevi transiturum pro tempus imperii brevi transiturum. eadem brevitate nostro loco Britanniae nova pars illacessita transit dictum est pro Britanniae novae parti tempus transit illacessitae. legendum igitur puto: ut nulla aeque Britanniae nova pars illacessita transierit — dass kein neu unterworfener theil der Britannischen provinz gleich unangefochten geblieben ist. *)

Agr. 21. *Inde etiam habitus nostri honor et frequens toga, paulatimque discessum ad d e l i n i a m e n t a vitiorum porticus et balnea et conviviorum elegantiam; idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.*

---

*) Etiam H 2, 59 minus recte de transeundi verbo statuisse videntur docti viri. legunt enim *Brevi auditu quamvis magna transibat impar curis gravioribus.* at cum in codicibus sit scriptum: breve auditu ui quamvis magna transibant, fortasse est legendum: brevi auditu ei quamvis magna t r a n s i b a n t i m p a r i curis gravioribus.

Nec minus dubito, an exemplis quale est notissimum illud sallustianum: Ne vitam silentio transeant defendi possit codicum lectio A. 14, 48 *Quin in insula publicatis bonis quo longius sortem vitam t r a n s i s s e t eo privatim miseriorem,* quo loco Puteolani mutatio traxisset in omnes editiones est illata.

Verbum deliniamenta satis leni mutatione correxerunt omnes editores in delenimenta, in quo substantivo inesse contendunt eam vim, ut significet „ea quibus vitia jucunda redduntur ac se insinuant animosque dulcedine sua capiant." sed non videtur necessaria haec conjectura. nam cum et liniamentum substantivum satis multis occurat locis cf. Cic. Brut. 298 Intelliges nihil illius lineamentis nisi eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, florem et colorem defuisse, quod scriptum fuisse liniamentum non lineamentum libri docent (cf. Jeep comm. crit. ad Justini 1, 2, 2,) et delineandi verbum in Plinii n. h. 35, 10, 36 legatur ea potestate, ut delineare imaginem carbone sit die umrisse machen, deliniamentum non est quod omnino improbemus, licet in romanorum libris, qui ad nostram aetatem pervenerunt, non inveniatur. sunt autem deliniamenta die ersten umrisse, die äusseren erkennungszeichen, et totam sententiam fere sic verterim: „maelich kam man zu den ersten umrissen der verschlechterung, zu hallen, bädern, feiner küche."

Agr. 22. *Ceterum ex iracundia nihil supererat, secretum ut silentium ejus non timeres.*

Neque conjecturis secretum et silentium aut nihil supererat secretum, ut silentium ejus non timeres, altera Puteolani altera Doederlini opus est, neque Wexii interpretatio (verschlossenes schweigen, geheimer groll) omni ex parte satisfacit. recte enim monuit Rothius Tacito anto oculos fuisse Domitiani illud exitiabile secretum (c. 29). quare accipio secretum adjectivum propria loci significatione, ut haec efficiatur sententia: „so dass man bei ihm eine abgesperrte (menschenscheue) verschlossenheit nicht zu fürchten brauchte." cf. A. 15, 36 Urbem revisit provincias Orientis maxime Aegyptum secretis imaginationibus agitans.

Agr. 24. *Quinto expeditionum anno nave prima transgressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit; eamque partem Britanniae, quae Hiberniam aspicit, copiis instruxit in spem magis quam ob formidinem.*

Offendimur verbis nave prima, quae ferri non posse Wexius recte contendit, neque tuitus est Kritzius conlato Horatiano illo cum hirundine prima ita explicans, ut significetur nave prima aestatis initium, quae interpretatio tum demum recte se haberet, si per hiemem illo mari omnino non navigaretur. Rothii ratio accipere jubentis nave prima transgressus zu schiff die vordersten grenzen überschreitend, eodem nomine est improbanda, quo Wexii conjectura nave in proxima. nam quae sequuntur verba ignotas ad id tempus crebis simul ac prosperis proeliis domuit demonstrant, non in proximas tantum regiones Agricolam duxisse exercitum sed etiam in gentes aliquanto remotiores. praeterea Wexius non adtulit locos, quibus navi transgredi exercitus dicatur pro navibus t., et quod ipse Broterii emendationi objecit, id in ipsum et in Rothium cadit „inanis enim est gloria, nave (primum) in regionem aliquam te venisse, si eandem terra adire potueras." quae enim excogitari potest ratio, cur Agricola, cum sine ullo labore atque apparatu exercitum terrestri itinere transducere posset, naves contraxerit aedificarit, milites imposuerit hostibus impugnantibus exposuerit, commeatus supportationem difficiliorem fecerit? nimirum „ut improvisus in Britannos incideret" ait Kritzius. at naves aedificari classemque cogi non audierunt? praeterea c. 25 de classe pedestrem exercitum sequente et adjuvante tanta cum admiratione loquitur Tacitus, ut vix sit credibile iam anno ante eam esse adhibitiam. itaque verissime suspicati sunt Beckerus et Peerlkampius non in prima vocabulo esse erratum sed in nave. accedit ad eas quas protuli etiam alia causa. quam enim Britanniae partem Agricola copiis instruxit? an eam, quam quinta expeditione provinciae adjecit? at non est credibile, in Hiberniam ex septemtrionali insulae parte eum fuisse trajecturum, neque, id si significare vellet, tam quae H. aspicit dixisset Tacitus quam quae H. aspiceret. quare duas in diversas insulae regiones expeditiones puto significari, unam septemtrionem versus, alteram in Ordovicum vel alicujus his vicinae gentis fines; cf. Doederlinum, qui Cornwallis quam nunc dicimus intelligit, et quae de Usipiis c. 28 suspicati sunt Broterius et Wexius. qua in re noli offendi que particula, qua saepissime res diversas, quae aliquo contineantur vinculo h. l. eo quod una aestate gestae sunt, jungi notum est, cf. Naegelsbach lat. stil. §. 193, 2 p. 541. recte igitur se habet ratio, qua ducti Beckerus et Peerlkampius majore temporis spatio opus fuisse censuerunt et pro nave alter vere alter aestate conjecerunt. quod enim contra dixerunt Waltherus et Wexius dicendum fuisse primo vere non vere primo, refellitur multis locis et Taciti et aliorum. A. 1, 22 nocte proxima. H 2, 7. 2, 49. 3, 6. 3, 70. luce prima. H 1, 57 die proximo. in Caesaris commentariis multa ejusmodi exempla sunt obvia: horis quinque, diebus aliquot, dies complures, hora decima, luce

prima, triduo proximo al. et magis quam Beckeriana placet Peerlkampii emendatio propterea, quod in septemtrionalibus Britanniae partibus non ita mature ea frumenti ac pabuli copia est, qua primo jum vere exercitus sustentetur.

Agr. 28. *Usipii tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere: et uno r e m i g a n t e suspectis duobus eoque interfectis nondum vulgato rumore ut miraculum praevehebantur. m o x a d a q u ã. A t q u e u t i l l a r a p t i s s e c u m plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi cet.*

R e m i g a n t e a Tacito non esse scriptum, Kritzii defensio ostendit. remigare ait latiore sensu significare remiges moderari et consulto esse positum propterea, quod tres liburnicae, quibus unus modo gubernator esset, justo et consueto modo gubernari non potuerint. at tum id ipsum fuisset miraculum, tres naves ab uno esse gubernatas idque aperte non per ambages erat dicendum in primis ab eo scriptore, quem omnes ea laude extollunt, quod quamvis longissime absit ab ubertate Livii et a perspicuitate Ciceronis „numquam sit ingenii acumini impenetrabilis.“ quare ad conjecturam est confugiendum. unde qui lucem adferebant loco obscurato in duas potissimum partes discesserunt. alteri enim eum inesse sensum putabant, ut unum gubernatorum cohorti profugae in voluntatem concessisse, alteri ut contra Usipiorum voluntatem aufugisse significaretur. itaque alteri morigerante alteri remigrante renavigante sim. conjecerunt. quorum neutris concedo. namque nullum in navibus fuisse gubernatorem verbis a m i s s i s p e r i n s c i t i a m r e g e n d i n a v i b u s demonstrari jam pridem Waltherus vidit, quae ita sunt dicta, ut Kritzii sententia duas illas esse naves, quarum gubernatores occisi sunt, refutetur. narrat enim Tacitus circumvectos Britanniam amissis per inscitiam regendi navibus pro praedonibus habitos primum a Suevis mox a Frisiis interceptos esse. si duae tantum illae naves amissae sunt, qui factum est, ut tertiae navis homines, quam justus gubernator regeret, interciperentur a Germanis hominibus navigandi certe imperitis. cur non ut tum cum Britanniam circumvecti sunt in navem confugientes se subtraxerunt? equidem ita verba esse accipienda puto, ut tradatur Usipios amissis omnibus navibus terram petiisse et a Suevis mox a Frisiis bello petitos, cum ad naves sese non possent recipere, esse interceptos. nec minus suspecta est altera emendandi ratio. quid enim? milites, qui in eadem nave cum illo gubernatore erant, esse passos ut aufugeret? denique quo fugit? si ad Romanos rediit, non demum multo post fama ad ripam Rheni venumdatorum de illorum casu edoctus est Agricola. sin navem insciis Usipiis ita rexit, ut reveherentur ad Romanos, aut prospero eventu navem et profugos milites reduxit, aut a militus iratis, ubi primum se falli intellexerunt, est interfectus. quarum rerum neutra a scriptore traditur. has difficultates ut effugiamus, primum est tenendum tum, cum interciperentur naves, in eis gubernatorem non fuisse, deinde milites non fuisse passuros, si in ipsa navigatione fugam tentasset. ad quid eo factum est? interfectus est cum ceteris duobus. neque qua de causa sit interfectus dubium esse debet. majus enim aliquod facinus tentavit quam duo illi, qui tantum suspecti erant, negans se seditiosis esse obtemperaturum. qui sensus cum in conjectura et uno r e m i g r a n t e nisi ab eo, qui ludibrio illo praesentis conatam rem denotantis delectetur, inveniri non possit, restituenda est vox, quae negandi habeat vim. et si ad Taciti dicendi usum spectes, a b n u e n t e placebit, sin ad litterarum similitudinem, veri simillimum videbitur Tacitum scripsisse d e n e g a n t e A. 15, 62 Ille interritus poscit testamenti tabulas: ac d e n e g a n t e centurione conversus ad amicos . . testatur. cf. Suet. Caes. 1. Cal. 23. itaque legendum esse puto: et uno d e n e g a n t e suspectis duobus eoque interfectis . . praevehebantur. quo in enunciato duae res supersunt, propter quas de emendatione dubites, participium praesentis temporis et q u e particula. sed per que particulam haud raro Tacitus participia juxta ponit, quarum condicio re vera ea est, ut alterum alteri subjungi debeat explicationis causa, vide quae adnotavit Nipperdeius ad A. 3, 11. et exempla fere ejusdem generis, quae idem Nipperdeius proposuit A. 1, 55. 14, 47. Graecorum similem licentiam intelliges ex iis, quae Krügerus disputavit Thucyd. 1, 61, 3. est autem noster locus ita constitutus, ut vulgato sermone dicendum fuerit: et uno quia denegabat, duobus quia suspecti erant interfectis, praevehebantur. verum etiam nunc offendimur participio praesentis temporis d e n e g a n t e, cujus loco participium perfecti temporis poni debebat, simulac denegatio gubernatoris *ἐκ παραλλήλου* est posita cum trucidatione. at effertur denegatio praesenti tempore, ac si omisso e o q u e ut secundarium adderetur primario membro, quo quod eodem evenit tempore continetur. cf. A. 14, 15 Postremus ipse scenam incedit, multa cura temptans citharam et p r a e m e d i t a n s a s s i s t e n t i b u s p h o n a s c i s. quodammodo simile est exemplum A. 14, 5 Agrippina

silens eoque minus agnita unum tamen vulnus humero excepit, nec scio an comparari possit A. 4, 25 Infensus miles memoria laborum et adversum eludentes optatae totiens pugnae se quisque ultione et sanguine explebant — gegen leute welche die verfolger zum besten zu halten pflegten. [1])

In verbis quae sequuntur gravi corruptela adflictis ex verbis sua defensantium id tantum patet latere quandam rapinarum et praedationum ab Usipiis factitatarum significationem. quare neque Wexii neque Rothii rationes probandae sunt. conjectura autem Ecksteinii a Kritzio recepta mox ad aquam atque utilia rapturi (se)cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi propterea minus placet, quod ad praepositio non etiam ad utilia pertinet. mihi quidem genuina scriptura haec videtur esse: mox ad aquam atque utensilia [2]) raptusque cum plerisque congressi. ad praepositio eo facilius ad utensilia raptusque pertinet, quod ut aliis locis paullo latiore sensu fere idem valet atque in c. abl. vide Boetticher lex. tac. p. 20. ceterum utensilia raptusque per ἓν διὰ δυοῖν ejus generis est dictum, ut prius substantivum genetivi casu addi deberet postero ad raptum utensilium, vide Papst eclogae tacit. p. 319.

Restant verba: *atque circumvecti Britanniam amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suebis mox a Frisiis intercepti sunt.* dicunt enim Wexius et Kritzius Usipios meridionale Britanniae latus esse circumvectos, Dionemque, qui 66, 20 meridionale nominat, incompertis de ista re rumoribus fidem habuisse. sed cum nulla proposuerint argumenta, Taciti verba ipsa sunt premenda. atque primum, cum Usipii sexto Agricolae legati anno Britanniam essent circumvecti, nihil omnino offecit, quominus per insequentem hiemem commerciis ad ripam Rheni venumdarentur, indeque non ita multo post fama in Britanniam perveniret. id a Taciti temporum computatione non abhorrere argumento est, quod postero anno etiam Calgacum Usipiorum mentionem facit injicientem c. 32 Tamquam nuper Usipii reliquerunt. quare fieri potuit, ut quod Dio tradit Agricola Usipiorum casu permotus insulam juberet circumvehi. deinde si Usipii meridionale Britanniae latus sunt circumvecti, offendimur verbis cohors Usipiorum magnum et memorabile facinus ausa est. quid enim adeo magnum et memorabile est noto mari navigare? denique si meridiem versus cursum tenebant, necesse erat, ut non solum cum Britannis proeliis congrederentur, sed etiam a Romanis, qui eas regiones obtinebant, aspicerentur ac praedantes aut proelio profligarentur aut caperentur. quo facto non video cur fama demum ad Rhenum venumdatorum de hac re edoctus sit Agricola. propterea non ita ridicula videtur eorum sententia, qui Usipios occidentali Britanniae latere tendentes (recte opinati esse ii viri docti videntur, qui illos in iis copiis fuisse putarent, quibus Agricola eam partem Britanniae, quae Hiberniam aspicit, firmasset), profugisse, et septemtrionale latus circumvectos ad regiones inter Albim et Rhenum sitas pervenisse ibique a Germanis esse interceptos putarunt.

Agr. 30. *Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit. nunc terminus Britanniae patet, atque omne ignotum pro magnifico est. sed nulla jam ultra gens nihil nisi fluctus et saxa et infestiores Romani.*

Rationes, quibus Wexius et Kritzius enuntiatum atque omne ignotum pro magnifico est tueri atque explicare tentarunt, ita refutavit Schoemannus l. l. p. 14 ss, ut nihil addi sit necesse. sed quam ipse probat transpositionem illorum verborum ante nunc terminus, eam dubito probare propter violentiam talium remediorum, quam diu aliam interpretandi viam posse investigari confido. et videor mihi multo leniorem medicinam loci corrupti reperisse scribens: nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit: nunc terminus Britanniae patet; atque jam non ignotum pro magnifico est, sed nulla ultra gens. cet. — uns die bewohner des äussersten erdwinkels und die letzten freien männer hat bis jetzt unsere entfernung und der schutz unseres ruhmes vertheidigt: jetzt steht Britannien bis an sein ende offen; und nicht mehr ist das unbekannte gross und furchtbar, sondern schon ist kein volk mehr übrig, nichts als wasser und klippen und die noch aergeren roemer. ita constituta habent tandem verba

[1]) Ceterum fallitur Nipperdeius interpretatus: memoria laborum et eorum quidem adversum eludentes. etenim adversum eludentes respondet verbis infensus memoria laborum, ita ut sensus efficiatur idem ac si scriptum esset: infensus memoria laborum et adversum eludentes collocatus optatae cet.

[2]) vide Nipperd. A. 1, 70.

atque — pro magnifico est, quo referantur. generalem enim sententiam ignotum pro magnifico est adhibet Calgacus de Britannia, quae, cum ad id tempus magnam partem fuerit incognita propter longinquitatem regionum et incolarum metum, tum Agricolae expeditionibus patefacta atque jam non incognita desiit pro magnifico haberi. optime igitur convenit haec sententia cum extremis terrarum ac libertatis recessu ipso ac sinu famae defensis; neque quid valeat sed nulla jam ultra gens, dubium est sententiis ita inter se conexis, jam non superesse ullam terram ignotam eoque pro magnifico habitam, sed omnes gentes, quae reliquae fuissent, esse a Romanis victas.

Agr. 31. *Brigantes femina duce exurere coloniam expugnare castra ac, nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere jugum potuere; nos integri et indomiti et in libertatem non in poenitentiam laturi primo statim congressu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.*

Primum utique recte Camdenius conjecit pro Brigantes esse scribendum Trinobantes. quibus enim argumentis Wexius et Kritzius codicum scripturam defendunt, ea tum demum probabilia essent, si quae Calgacus ipse contionatus est verba legeremus, non quae Tacitus ei attribuit. sed hoc quidem minoris momenti est, verum maximo labore exercuerunt ingenia editorum quae sequuntur verba et in libertatem non in poenitentiam laturi. quae ut aperte sunt corrupta, ita in nulla emendationum, quae adhuc propositae sunt, acquiescendum esse mihi videtur. et Wexii quidem emendationem, quam Kritzius in textum recepit, arma laturi propterea non probandam puto, quod tum, cum Calgacus locutus est, Caledonii arma tulerunt non laturi fuerunt; quam post Broterium Waltherum alios recepit Haasius scripturam et libertatem non in poenitentiam laturi, quaequae nonnihil habet commendationis et libertatem non poenitentiam laturi cf. A. 15, 62 H 3, 19, sensum ab nostro loco alienum inferre Wexius vidit, cum non opus sit, qui ad id tempus indomiti fuerint, recuperent libertatem. Schoemanni denique conjecturam et libertatem non impune tentatam ulturi tum demum pro vera habebimus, nisi alia ad litteras in codicibus servatos propius accedens invenietur. equidem lenissima correctione Taciti verba sic puto restituenda esse et in libertatem non in poenitentiam ulturi. ulturi pro laturi jam Heumannus proposuit sed etiam ceteris verbis immutatis, novissime ut dixi Schoemannus. ulciscuntur autem Caledonii Romanos, qui Britannia subacta pro sua avaritia et ambitione ne remotissimos quidem orbis terrarum incolas illacessitos reliquerint, [1]) et ea quidem fortitudine, ut numquam eos poenitere debeat [2]) arma contra Romanos tulisse, sed ut is dies initium libertatis toti Britanniae sit. qua in emendatione ut lubens fateor mihi deesse exempla, quibus dictum esse a Romanis ulcisci in libertatem doceam, ita latine non dici certe negaverim. cf. H 3, 80. Sacrum etiam inter exteros gentes legatorum jus ante ipsa patriae moenia civilis rabies usque in exilium temerasset. Vell. 2, 85 Desperata victoria in mortem dimicabatur, et quae de potestate in praepositionis cum accusativo disputarunt Nipperdeius ad A. 2, 13. Kritzius Agr. 8, 3.

Agr. 32. *Nec quicquam ultra formidinis; vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et injuste imperantes aegra municipia et discordantia.*

Pro municipia, quod *Γ Δ* praebent, Wexius et Kritzius ex margine codicis *Γ* receperunt mancipia, utique falso. nam enumerat Calgacus eas res, quas devicta romana acie metuendas victoribus putare quis possit. sunt autem loci praesidiis munitionibusque firmati, quibus Romani se tenere indeque eruptionibus factis bellum ducere ac paullatim Britanniam rursus subjicere possint. et sunt quidem in Britannia castella cf. 32, est veteranorum colonia Camulodunum (de plurali numero vide quae p. 5 ad c. 5 notavimus), municipiorum denique Verulamium est notum nec procul abesse a veritate videtur, quod Rothius opinatus est, Londinium in eo numero fuisse. inter male parentes et injuste imperantes ex nota illa inter praepositionis significatione, de qua locuti sumus ad A. 13, 26 [3]), est explicandum. itaque efficitur hic sensus:

---

[1]) cf. 32 Et ceterae servientium poenae, quas in aeternum perferre aut statim ulcisci in hoc campo est. H 5, 16 Ultioni magis quam proelio opus est. Plin. pan. 35 Divus Titus securitati nostrae ultionique prospexerat. al.

[2]) cf. 33 Neque me militum neque vos ducis poenituit — hat nicht zu reuen gebraucht.

[3]) Plane similia nostri loci sunt exempla de quibus loquitur Rothius ad H 1, 1, quae ita sunt comparata, ut inter cum accusativo participii vel adjectivi vices participii aut relativi aut absoluti quod dicunt sustineat cf. H 1, 34 Credula fama inter gaudentes et incuriosos.

dann ist weiter gar nichts zu fürchten; verlassene bollwerke, colonien von altersschwachen greisen, bei dem umstand, dass die einen ungehorsame unterthanen die andern ungerechte herren sind, übelgestimmte und in sich uneinige municipien.

Agr. 34. *Quos quod tandem invenistis, non restiterunt sed deprehensi sunt, novissimę res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis.*

Una quidem loci graviter adflicti corruptela a Bezzenbergero sanata mihi videtur, quippe qui pro corpora, quo contortissimam et ab loco alienam effici sententiam contra Kritzium contendit Schoemannus l. c. p. 16, proposuerit torpore Schoemanno probante, sed restant verba novissimae res quae neque Rothium (grenzmarke der welt) neque Kritzium, qui Wexium secutus interpretatur dicta „in eo quod quia nihil ultra est pro gravissimo horrendo et prosus desperato habetur" ad justam sententiam perduxisse puto. quae enim sunt novissimae res? in eis quidem locis, quos Wexius et Kritzius adtulerunt, aut novissimi adjectivum significat das letzte, aut ubi abit in significationem impropriam das aeusserste, adpositum est ad substantiva, quibus quomodo illam vim sustinere possit aperte demonstratur, non ad verba tam indefinita quam est res. Haec potius consideres velim. Tacitus nonnumquam sententiarum gravitatem eo auget, quod ad enuntiatum per se perspicuum adjungit alterum, quo, quae priore dicta sunt, paullo aliter instituta iterat cf. A. 15, 20. Nam culpa quam poena tempore prior, emendari quam peccari posterius est. quodsi ad nostrum locum accedimus, id apparet extremo metu torporeque defixere (Caledonii) aciem in his vestigiis non ita multum differre ab eis quae praegrediuntur sed deprehensi sunt, sed idem fere exprimere hoc uno artius circumscriptum, quod defigunt aciem propterea, quia deprehensi sunt. quare conjicere licet, ut illis verbis oppositum est quod Britannos facturos esse exspectaverunt Romani esse restituros (non restiterunt), ita his praegredi verba, quibus indicetur quae fore speraverint. qui vero hostes defigere aciem cum vituperatione dicit, is speravit eos contra ituros. hunc igitur sensum in verbis corruptis novissimae res et latere suspicor. qui quibus verbis fuerit expressus ex litterarum formis apparebit. novissimę res et ortum mihi videtur ex: non in . . . iere set; quae inter in et iere positae fuerunt litterae, paullo audacius sunt restituenda; et mihi quidem aciem videtur intercidisse. Taciti verba igitur haec fuisse puto: quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt, non in aciem ierunt sed extremo metu torporeque defixere aciem in his vestigiis cet. cf. H 2, 46 Ire in aciem flagrabant. ita enunciatis constitutis recte demum progreditur oratio. expectas viros fortes hostium impetui restituros vel potius ultro aggressuros esse (cf. H 3, 18 Non obviam ire ultroque aggredi). quod utrumque ut fecerint Britanni tantum abest, ut deprehendi debuerint a Romanis et in illis ipsis locis, in quibus essent deprehensi, necessario decertaverint.

Ceterum non negaverim hunc sensum aliis quoque verbis posse constitui, mihique in mentem venit, retento corpora transposito aciem scribendum fortasse esse non direxere aciem sed extremo metu corpora defixere in his vestigiis, cf. A. 2, 45 Deriguntur acies. H 4, 16 Directa ex diverso acies, sed duriores mihi quidem transpositiones videntur, quam quae admittantur, nisi si nulla alia sit emendandi via.

Agr. 40. *Ceterum ut militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis.*

Kritzius penitus, quod codices praebent, retinuit explicans „maximum in modum, quantum potuit maxime." sed eam potestatem non esse in penitus adverbio cum eis ipsis locis, quos adscripsit, 45 Vocesque, quas penitus animo figeremus, Or. 30 Se omnes philosophiae partes penitus hausisse, ib. 32 Praecepta prudentium penitus reformident, tum ceteris, quibus apparet, demonstratur, cf. Cic. de or. 1, 23, 108 Nam si ars ita definitur, ut paullo ante exposuit Antonius, ex rebus penitus perspectis planeque cognitis atque ab opinionis arbitrio sejunctis scientiaque comprehensis, non mihi videtur ars oratoris esse ulla. id. de off. 2, 8, 5. Sensim hanc consuetudinem et disciplinam jam minuebamus: post vero Sullae victoriam penitus amisimus, al.; quibus omnibus non est grösstentheils sed vollstaendig, vom grund aus. qui sensus cum nostro loco non conveniat, conjecturis subvenerunt. quam Wexius proposuit penitus hausit, in eam cum id cadit, quod Wexius ipse contra cujusdam interpretationem scripturae vulgatae dixit, „quae in speciem fiunt, non penitus fiunt", tum Rothius rectissime judicat, tranquillitatem hauriri non posse,

quippe quae non extra hominum animos sita ideoque quo lubeat tempore assumenda sed animorum sit habitus ab animis ipsis petenda. verum Kleinius vidit proponens tranquillitatem atque otium peritus auxit, suchte er klug seine ruhe und zurückgezogenheit (von den staatsgeschäften) zu vermehren. Otium enim auxit ad res publicas quam minime posset accedens, eaque ipsa re cum periculum mortis minueretur, tranquillitas aucta est.

Agr. 43. *Et augebat miserationem constans rumor veneno interceptum: nobis nihil comperti affirmare ausim.*

Si emendatione opus esset, reciperem quam Haase proposuit nobis nihil comperti; nec affirmare ausim. sed codicum lectio videtur posse retineri. inveniuntur enim loci, quibus non particula, quamquam non ad totam sententiam sed ad aliquam tantum enunciati partem pertinet, non ante haec ipsa verba sed initio totius sententiae est posita, cf. A. 12, 36 At non Caratacus aut vultu demisso aut verbis misericordiam requirens, in hunc modum locutus est. A. 12, 7 Nec Claudius ultra expectato obvius apud forum praebet se gratantibus. A. 14, 58. erat igitur proprie dicendum, nobis quicquam comperti esse affirmare non ausim; non particula, quamquam ausim tantum negatur, ad prima enunciati verba protracta efficitur nec nobis quicquam comperti esse affirmare ausim. quo facto simili modo, quo negativa adjectiva cum substantivo aliquo attributiva vi junguntur, cum ab auctore subtiliter scribente praedicatum negari debeat per non particulam (cf. Plin. pan. 70. Cum male consultis impunitatem recte factis nullum praemium polliceretur, Agr. 16 Nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus. Agr. 39, A. 14, 24), non et quicquam coaluerunt in nihil effectumque est quod legimus et nobis nihil comperti affirmare ausim. certe hanc explicationis rationem sententiae multo esse aptiorem quam quae a Kritzio est proposita nobis nihil comperti (esse), affirmare ausim ich wage nur das zu erklären, dass ich nichts bestimmtes vernommen habe, (übrigens mag denn doch etwas wahres an dem gerüchte sein) neque abhorrere a lege grammatica affirmare ausim. formulae nihil comperti satis multa contulit exempla Wexius.

Quod vero miri sunt visi numeri repente mutati nobis ausim, rectissime se habet singularis ausim pluralis nobis numerus. nam vitae scriptor affirmare non audet, sibi ceterisque Agricolae necessariis quicquam fuisse comperti de veneno. ich traue mir nicht zu behaupten, dass wir (ich, frau, grossmutter) etwas bestimmtes wussten.

Agr. 44. *Nam sicuti durare in hac beatissimi saeculi luce ac principem Trajanum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus cet.*

Proxime ad veritatem accesserunt Rhenanus Ritterus Kritzius, quorum primus quod omisit, alter et tertius mutaverunt in quondam. equidem cum Engelio et Oberlino ortum puto ex quodam Tacitumque scripsisse nam sicuti durare in hac beatissimi saeculi luce ac principem Trajanum videre quodam augurio votisque ominabatur, ita cet., quae nostro sermone ita reddenda sunt: denn wie er einerseits mit einer art von vorahnung und wünschen das prophetische verlangen aeusserte, in den sonnigen tagen dieser unserer hochbeglückten zeit zu leben und als kaiser einen Trajan zu sehen, so war doch ein ersatz für den unvermutet hereinbrechenden tod cet. ominandi enim verbum fere idem valet ac nostrum vorahnend wünschen, cf. Suet. Ner. 48 Clamorem militum et sibi adversa et Galbae prospera ominantium. Plin. ep. 4, 15, 5 Optamus enim tibi ominamurque in proximum annum consulatum. ita nos virtutes tuae ita judicia principis augurare volunt. id. 4, 19, 7 (cujus loci paullo alia est condicio*) Talemque, qualis nunc uxori meae videor, ominari solebas.

Verum recepta eorum quos dixi emendatione non probo explicationem. prorsus enim a Taciti ingenio abhorreret haece sententia, si ad illa praesagia quibus Trajano principatus portendebatur ut recepto demum imperio narratum et creditum est, esset referenda. huc potius animum adverte. siquis nostrae memoriae hominum alicujus ex Napoleonis summi illius ducis veteranis in vita anno 1854 conscripta affirmaret, illum veteranum anno 1840 exclamasse „ich werde noch einen Louis Napoleon als kaiser schauen“, etsi de Ludovico Napoleone nihil cogitans id tantum voluerit dicere sperare se quondam aliquem ex Napoleonidarum gente Francogallorum imperatorem esse visurum, non ita multum miraremur reputantes

*) Plin. ep. 4, 2, 8 Unde haec augurer, quaeris.

certum Ludovici nomen scriptorem ex rerum eventu de suo adjecisse. atque idem a Tacito factum esse mihi videtur. Agricola enim, cui pro certo esset persuasum Romanorum rem publicam post Domitiani crudelitates ad bonum principem esse perventuram, id tantum auguratus est eamque in felicissimam aetatem vitam ut perduceret desideravit, quod his fere verbis poterat narrari: nam sicuti durare in q u a d a m beatissimi saeculi luce ac p r i n c i p e m a l i q u e m b o n u m videre augurio votisque ominabatur; Tacitus, qui Trajani principis felicissima illa aetate viveret, et quae socer desiderasset auguratusque esset, ea jam evenisse videret, incertis Agricolae votis certum tempus atque certi hominis nomen substituit. atque miror equidem Waltherum, cui fere eadem interpretandi ratio in mentem venerat, tamen Walchii explicationem recepisse, ex qua Agricola multis annis ante Trajani principatum auguratus fertur. quodam modo comparari potest ratio, qua scriptor eos, quorum refert orationes, nonnumquam res facit commemorantes, quas illi tum cum locuti sunt scire non potuerunt, quod factum videmus H 1, 30 minus triginta transfugae; cf. cum 1, 27 ibi tres et viginti speculatores cet.

Agr. 45. Tacitus Agricolam, quod postremum Domitiani tempus effugerit, praedicans: *una tantum* inquit *victoria Carus Mettius censebatur, et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat et Massa Baebius j a m t u m reus erat.*

Wexii ingenuosam conjecturam Massam Baebium ut Capitonem Cossutianum tum demum in omnes delationum crudelitates prorupisse, cum a Baeticis esset accusatus, ut amplectendam puto, ita librorum verbis talem subesse sententiam negaverim. ut enim concedam non statim post Baeticorum accusationem, quam ex nostro loco sub ipsa Agricolae morte accidisse collegit, Baebium continuas clarorum virorum delationes exercuisse, verba tamen j a m t u m haud facile aliter accipias, quam ut significetur ipsa illa accusatione Baebium esse repressum. quod a loco prosus est alienum. quare statuo jam tum corruptum esse ex e t i a m t u m, quo recepto hic efficitur sensus: Massa Baebius war damals noch angeklagter. de etiam tum vocabulo cf. A. 1, 3 Tiberium Neronem et Claudium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit integra e t i a m t u m domu sua. A. 15, 50 Ex quibus Senecio speciem amicitiae e t i a m t u m retinens eo pluribus periculis conflictabatur: Kritzium ad Sall. Cat. 2, 1. Kritzius omisso jam explicat „Massa Baebius tum adhuc talis erat, qui in jus vocari posset." at reus est, qui in jus vocatur, non qui vocari potest.

H. 2, 57. *Dein mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur h o n o r a v i t q u e Asiaticum anulis foedum mancipium et malis artibus ambitiosum.*

Quod pro honeravitque libri exhibent o n e r a v i t q u e retinendum videtur, cum optime conveniat cum acerba illa irrisione, qua omnia Vitellii dicta factaque Tacitus refert. eodem fere modo Otho Barbium Proculum et Veturium pretiis et promissis o n e r a t H 1, 25, et Mucianus Antonium Primum multis in senatu laudibus cumulatum secretis promissis o n e r a t H 4, 39.

H. 3, 24. Rothius adsequi se negat, quid valeant verba ab Antonio Primo ad praetorianos dicta: *vos, n i s i v i n c i t i s p a g a n i, quis alius imperator, quae castra alia excipient?*

Othonis praetoriani a Vitellio honeste missi H 2, 67, ut veteranorum erat mos (cf. A. 14, 27) alius alio per Italiam per provincias dilapsi sunt. bello Vespasiano orto ad Flavianos concurrerunt. quos minatur nostro loco Antonius Primus iterum victos iterum missum iri, neque umquam fore milites sed paganos. dicit igitur: euch, die ihr, wenn ihr nicht siegt, provinzialbauern sein werdet, welch' anderer Feldherr, welch' anderes lager wird euch wieder als soldaten aufnehmen? ut hoc loco pagani opponuntur militibus H 1, 53. Inter p a g a n o s corruptior miles. 3, 43; immo eam induisse pagani vocabuli vim videtur, ut significaret qui non essent milites „civilisten." cf. Juv. 16, 33. Citius falsum producere testem contra p a g a n u m possis, quam vera loquentem contra fortunam a r m a t i. Suet. Galba 19. Ibi equites, cum per publicum dimota p a g a n o r u m turba equos adegissent. Suet. Oct. 27 Quum contionante se admissa turba p a g a n o r u m apud milites; cf. Freund lex. s. v.

L. Vielhaber.
